

sunt, neque ullam sibi rationem habendam putant, quò minus aliis molesti sint. Talis fuit Laurentius Valla maledicus in omnes; hinc defuncto ipsi hoc scriptum fuit distichon:

*Tandem Valla silet, solitus qui parcere nulli,
Si quaris quod agat, nunc quoque rodit humum.
Iuppiter hunc, certò dignatus honore fuisset
Censorem lingua sed timet ille sua.*

§. II. X. Sicut jam Comitas jucundum in seria, ita Urbanitas jucundum in jocosâ conversatione respicit, & quia in jucunditate conveniunt, prius acturi sumus de Urbanitate, quàm de Veracitate. Et quidem Stagirita *l. 4. Ethic. c. 8.* duabus probat rationibus dari quandam virtutem, quæ in ludis & jocosâ versatur: (1.) in omni vita locum habet Virtus; sed quies, in quâ joci & ludi, est vita quieta. E. in ipsa debet esse virtus, quæ jocosâ, quâ oportet, ratione & dicit, & audit. (2.) In jocosâ est defectus & excessus. E. etiam & medium, quod est virtus.

§. IX. *Urbanitatem* Aristoteles græco vocabulo appellat *εὐτραπέλιαν*, quæ vox propriè notat morum flexibilitatem, & inde Urbani *εὐτραπέλοιοι* quasi *εὐτραποιοι* dicuntur, quod pro rei, temporis & personarum conditione in vita ludicrâ mutabiles & quasi versatiles sint. Sunt enim joci q. s. mutationes morum & animorum. Et ut ex motu corporis ejusdem cognoscuntur sanitas, vigor & robur; sic ex jocosâ interdum mores animi cognoscuntur. Vox verò *εὐτραπέλιος* apud Paulum *Eph. 5. v. 4.* notat hæc vox, non virtutem, sed vitium, nempe scurrilitatem; verba Pauli sunt: *Non nominetur inter vos αἰσχρότης ἢ μωρολογία ἢ εὐτραπέλια, τὰ ὅσα ἀνήκοντα.* Idque factum est propter abusum, cum enim Pauli tempore scurriles etiam Urbani videri vellent, hinc usu venit, ut ipsius etiam virtutis nomen vitii si-

tii si-